



Sammelband von Dina



U. g. 1975

40
POSITIONES LEGALES

Disputationis VII.

DE PROCURATORIBVS ET SATISDA-
TIONIBVS IUDICIALIBVS, ITEM-
QVE DE PERPETVIS ET TEMPORA-
libus actionibus, exceptionibus &
replicationibus, &c.

*Ex I 0. 11. 12. 13. & 14. lib. 4. Imp.
Instit. titulis, & correspondentibus iuris
textibus transcripta.*

Q V A S

Divina aspirante gratia

SVB PRAESIDIO

Nobilissimi & Consultissimi Viri,

Dn. ARNOLDI DE REYGER IC,
publici in illustri Salana Publ. Pand,
Professoris,

Examinandas proponit

Ad diem 26. Iulij hora locoq;
solitis

IOHANNES ERNESTVS AB
Hundelshausen,

I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANNI,
ANNO MDCCXCV.



CONTINUATIO.

Explicatis actionum generibus & modis, quibus quis in iudicio agere & conveniri potest; consequens est, exponere, per quas personas actiones iure subsistentes institui & exerceri, & quomodo excipiendo impugnari aut declinari queant.

THESIS I.



ETSI PRISCIS TEMPORIBUS non nisi certis quibusdam in casibus alieno nomine litem suscipere permittebatur, Hodiè tamen usu & necessitate exigente receptum est, ut tam Actor quam Reus per Procuratorem modo rectè sit constitutus, litem suam exponere possit.

Tot h. tit. n. Inst. per quos ag. ibiq; Interp. l. 2. C. de form. & act. impetr. sub l. 5. de obl. & act. Vult. lib. 2. l. R. cap. 30. n. 13. & seqq.

II.

Procuratorem verò regulariter omnes constituere possunt, qui rerum suarum administrationem habent, nec intellectu ac iudicio carent, idq; in iudicio vel extra iudicium, nec solennitas verborum aut partium presentia requiritur, sed nudus consensus expressus vel tacitus sufficit.

l. 1. §. 1. ff. de procur. Vult. in parat. ibid. nu. 4. l. 1. §. 13. ff. de obl. & act. l. mutus §. 1. in fin. ff. de procur. Vult. all. loc.

III.

Quilibet quoq; qui legitimam in iudicio standi personam habet, & edicto prohibitorio non arcetur, mandatu

datu domini alienæ rei actionem vel defensionem susci-
pere potest.

Cuiac. in parat. ff. h. t. l. 54. ff. h. t. l. exigendi C. ed. Geil. lib. 2.

IV.

Omnibus etiam causis civilibus procurator adhi-
betur, nisi quid disertè sit exceptum: In criminalibus v.
ubi pœna relegatione gravior irroganda venit, nisi ad
instruendum iudicem, innocentiam proponendam
aliasque absentia causas referendas, non admittitur.

*l. 33. §. 1. ff. h. t. l. 1. §. 1. cum seq. C. de assert. toll. l. 5. de po-
pul. act. l. pen. ff. de pub. iud. Cuiac. lib. 20. obs. 20. Gaill. lib. 5. de pac.
pub. cap. 10. Vult. in discept. schol. cap. 11.*

V.

Mandata autem procuratoria certa quædam re-
quisita habent, continere enim debent nomen tam man-
dantis quàm mandatarii, ut & iudicis coram quo & ad
quam causam detur, & de iudiciorum observantia,
etiam clausulam ratificationis & indemnitatis.

*VVurmser. lib. 1. tit. 10. obs. 3. VVes. in parat. hic n. 7. Mynsing.
cent. 4. obs. 99. Vult. d. cap. 30. n. 30. & seq.*

VI.

Procurator porrò etiam invitus litem susceptam
peragere & exequi cogitur, nec mandatum procurato-
rium ipsius aut mandatoris voluntate, quando res non
est integra absq; prævia causæ cognitione revocari aut
renunciari potest.

*l. 17. ff. de procur. l. 32. cum l. seq. C. eod. Geil. lib. 1. obs. 46.
& seq. Myns. cent. 5. obs. 44. Vult. d. loc.*

VII.

Finitur tamen mandata procuratio lata senten-
tia definitiva, aut quandoq; morte alterutrius ante li-
tem contestatam nimirum, licet ea quæ post mortem
mandantis & ante litis contestationem gesta sunt utili-
tatis causa conserventur.

*§. item si 10. Inst. h. t. VVes. in parat. hic nu. 11. l. 26. in pr. l.
34. in fin. ff. mandat.*

VIII.

Tum verò demum litigantes per procuratorem in
iudicio

A 2

iudicio litem recte persequi possunt, si satisdederint, quæ
SATISDATIO fit datis fideiussoribus facultatibus &
facilitate conveniendi, idoneis, & quidem tum, cum
is à quo exigitur bona immobilia non possidet, quod
si tamen fideiussores haberi nequeant, aut litigantes di-
gnitate præfulgeant, in locum satisfactionis succedit cau-
tio iuratoria.

Tot. tit. Inst. de satisd. tot. tit. ff. qui satisfacere cog. & tot. tit. C.
de satisfacand. l. 5. §. 5. & l. 7. ff. de præst. stip. l. 1. §. iubet ff. de collat.
bon. Novell. 112. cap. 2. circa fin. & Novell. 134. l. pen. C. de dig. lib.
11. ibiq. Cuiac.

IX.

Atq; in præstanda & obeunda satisfactione iura
quidem olim variabant tam quo ad personas litiganti-
um, quam quo ad naturam actionum, verum illud no-
vissimis constitutionibus, moribus & consuetudine ho-
rum temporum inductum generaliter observatur, ut si
per procuratorem quis sive Actor sive Reus in iudicio
versetur, atq; de mandato consistet, satisfactione nulla o-
pus sit, sin dubitetur cautio de rato interponatur, quod
idem & in aliarum rerum administratoribus, qui per ali-
um litigant, obtinet.

l. 39. §. 1. l. 40. §. 3. l. 65. ff. de procur. l. 5. C. eod. l. un. C. de
satisfacand. §. sin autem Inst. h. t. & ibid. VVes idemq; in parat. C. hic
n. 8. Ordin. Cam. tit. 21. §. Weiter sehen vnd ordnen wir! &c.

X.

Et quidem satisfactio in causis civilibus indistin-
te admittitur, in criminalibus verò tum tantum si criminis
qualitas aut amplissima facultates & dignitas accusati
suadeant.

VVes. in parat. ff. qui satisfacere cog. n. 4. l. 2. C. de exact. trib. lib.
10. l. 1. & 4. ff. de cust. reor. l. 25. §. memorati C. de Episcop.

XI.

Et sic hætenus, quomodo actiones legitimæ in iu-
dicium deducantur dictum est. Sequitur nunc quo-
modo tollantur. Quod fit aut temporis certo modo,
aut impugnatione adversarii, obiectu videlicet exce-
ptionum competentium.

Tem-

XII.

Temporis lapsu extinguuntur actiones temporales, etsi enim antiquitus actiones quæ ex legibus, SCtis, sive ex sacris constitutionib. proficiscuntur perpetuò competere solebant, bono tamen publico, ut reliquæ usucapiones, sic etiam actionum præscriptiones postea constitutionibus principum introductæ sunt.

In pr. Inst. de perpet. & temp. act. l. 1. ad l. Aquil. l. 3. cum seq. C. de præscrip. 30. vel 40. ann. l. 35. de obl. & act.

XIII.

Hinc omnes actiones civiles tam reales quàm personales spacio 30. annorum præscribuntur, aliæ innominatæ item quæ ad Ecclesiam pertinent annis 40. Assertiones verò regalium & paucissimæ nonnullæ aliæ tempore immemoriali terminari solent.

l. 3. 4. 7. 8. & ult. & passim. C. de præscrip. 30. vel 40. annor. Authent. per quas act. C. de SS. Eccles. l. un. C. de usucap. transfor. l. competit. C. de præscrip. 30. vel 40. annor.

XIV

Hæ verò actiones, quæ ex prætoris iurisdictione pendent, plerunq; ut & ipsius imperium anni decursu finiebantur, exceptis rei persecutoriis, quæ perpetuò durabunt.

in pr. Inst. h. r. d. l. 35. de obl. & act.

XV.

In heredes quoq; defunctorum licet iura realia & obligationes regulariter transeunt: pœnales tamen actiones & similes, quæ vindictam persequuntur, in heredem aliter non competunt, nisi aut lis cum præmortuo contestata fuerit, aut ex eius dolo & delicto aliquid lucri ad heredem pervenerit.

§. 1. Inst. & ibi Borch. l. sicuti & l. pœnalia ibidemq; interpp. ff. de R. l. l. omnes pœnales 26 ff. de O. & A. l. in heredem ff. de calumniator. l. quod diximus §. ult. ff. quod metus causa.

XVI.

Impugnantur præterea actiones iure subsistentes per oppositas EXCEPTIONES, quæ actoris intentione

nem excludunt, Reumq; damnatione, aut plenè eximunt aut saltem condemnationem minuunt aut differunt.

l. 2. §. 1. l. 22. §. 1. ff. de except. Myns. ad rubr. Inst. h. t. num. 12. VVes. in parat. ff. & C. hic num. 2.

XVII.

Suntq; vel civiles vel prætorix, & sumuntur ex iure cuiusq; proprio, fluente ex obligatione vel simili causa ex tempore loco personis aliisq; emergentibus circumstantiis, actionemq; vel perimunt vel differunt, unde & in dilatorias & peremptorias rectè dividuntur.

l. loci 4. §. 7. si servit. vmd. l. 8. §. 1. C. de prescript. 30. ann. Inst. §. 1. 2. & 10. hoc ibidemq; VVes. & in parat. C. nu. 8.

XVIII.

Dilatorix dicuntur quæ institutam actionem ad tempus differunt, & vel processum iudiciarium vel ipsam actionem concernunt, ut exceptio fori declinatoria procuratoria &c. item exceptiones præiudiciales, pacti conventi, temporales, litis pendens, libelli obscuri & inepti, spoli, cautionis & alix consimiles.

§. 8. & 10. Inst. hic l. 2. §. fin. l. 3. ibiq; Zas. l. 18. ff. h. t. Mynsing. cent. 4. obs. 26. Gail. lib. 1. obs. 74. Vult. lib. 2. cap. 24. Zangius in tract. de except. parte 2. cap. 6. & seqq.

XIX.

Peremptoria verò exceptiones ritè obiectæ totius negotii cognitionem tollunt, agentibusq; semper obstant, unde & perpetuæ dictæ sunt; eademq; vel à principio nascuntur, aut postea existunt.

§. 9. Inst. hic ibiq; VVes. l. 2. C. de proc. Imp. offer. l. 20. de iudic. Donell. ad Rubr. C. h. t.

XX.

Exceptionum adhæc & potissimum peremptoriarum alix sunt personales alix reales: Personales certis personis cohærent, & cum iis simul extinguuntur, ut pleræq; sunt exceptiones privilegii alicuius, Reales rei cohærent, & in successorem ac fideiassorem reo etiam invito transeunt.

l. 7. ff.

l. 7. ff. de except. l. 3. §. ult. ff. de censib. l. in omnib. ff. de R. I. l. 19. ff. h. t. l. 28. de except. rei iud. l. 22. ff. de fideiuss.

XXI.

Illud etiam hic considerandum venit, reum plures exceptiones, modò ex adverso & effectu non sint contrariæ deducere posse, ita tamen ut temporales & dilatorias ante ingressum & contestationem lites opponat, eademq; omnes simul & semel secundum saluberrimam Iuris Canonici novissimarum Imperialium & provincialium constitutionum dispositionem uno in termino proponat, nisi fortè aliqua de novo exorta fuerit, vel gravamen successivum habeat, vel iudicium retro nullum reddat, vel reus errore facti hanc sibi competere ignoraverit.

l. 5. l. 8. ff. h. t. l. pen. & ult. C. eod. l. 43. ff. de R. I. ibiq; Petrus Faber & Hypoll. à collib. nullus eod. in 6to c. pastoralis 4. extra hic nu. 10. Ordinat. Cam. part. 3. tit. 13. §. fin. & tit. 24. §. Und sollen. constit. Elector. part. cap. 1. Myns. cent. 5. obs. 89. & noviss. Daniel. Mollerus lib. 1. semest. cap. 1.

XXII.

Peremptoriæ autem seu perpetuæ exceptiones in quavis actione regulariter post litem contestatam usque ad sententiam proponuntur, etsi quædam statim oppositæ & probatæ, ad id prosunt, ut litis ingressum impediant.

l. 9. C. hic VVes. in parat. hic n. 7. Myns. ad §. aperiantur. Inst. hic n. 2. & cent. 11. obs. 24. Gail. lib. 1. obser. 24. n. 13. & lib. 2. ob. 17. n. 9. Menoch. lib. 1. arbitr. iud. quest. quest. 19.

XXIII.

Deniq; ut actionem excludit exceptio, ita exceptionem replicatio, & hanc vicissim duplicatio & ita deinceps multiplicantur nomina, donec conclusio partium huiusmodi disputationi finis imponatur.

§. 1 & seq. inst. de replicat. l. 2. §. 1. l. 22. & ibi Zas. num. 3. de except.

XXIV.

Ad præcavendas tamen malitiosas litem protelationes

tiones, novissimæ constitutiones imperii, & municipales hisce litigantium velitationibus optimo consilio modum statuerunt, ita ut in dilatoriis ultra duplicationem in peremptoriis ultra triplicationem procedere hodie non liceat.

Ordinat. Camer. part. 3. tit. 26. §. Wo aber. & tit. 29. in fin. Const. Elect. part. 1. tit. 18.

Auctuarij vicib. fungantur.

1. An Nobiles procuratorium officium exercentes, nobilitatis privilegiis gaudere queant? Negat.

Guid. Pap. quest. 89. & quest. 399. l. si quis 34. C. de decur. lib. 10

2. An Actor in criminalibus ob inopiam satisfactionis aliquando ad iuratoriam cautionem admitti debeat? Et admittendum putamus.

l. 1. §. omnes C. de assert. tollend. Novell. 52. 112. Paris de Puteo de synd. verb. fideiussores c. 1. Myns. obs. 11. c. 2. l. imp. sibilium de R. Iur.

3. Suspectus de fuga Reus utrum ad iuratoriam cautionem sit admittendus? Neg.

Gail. 2. obs. 44. n. 10. Vves. in par. ff. n. 10. ff. de satisd.

4. Personales actiones an 30. annis amittantur, licet præscribens non habeat bonam fidem? Respon. sub distinct.

Euerhard. Bronckhorst. assert. 75. cent. 2. ἐναντιοφαιών.

F I N I S.



99 A 6904

ULB Halle 3
004 976 38X



TA 30L





POSITIONES LEGALES

Disputationis VII.

DE PROCURATORIBVS ET SATISDA-
TIONIBVS IUDICIALIBVS, ITEM-

QVE DE PERPETVIS ET TEMPORA-
libus actionibus, exceptionibus &
replicationibus, &c.

Ex I 0. 11. 12. + 13. & 14. lib. 4. Imp.

Instit. titulis, & correspondentibus iuris
textibus transcripta.

Q V A S

Divina aspirante gratia

SVB PRAESIDIO

Nobilissimi & Consultissimi Viri,

Dn. ARNOLDI DE REYGER IC,
publici in illustri Salana Publ. Pand,
Professoris,

Examandas proponit

Ad diem 26. Iulij hora locoq;
solitis

IOHANNES ERNESTVS AB
Hundelshausen.

I E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,
ANNO MD CXXV.

